



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XLIX. Ad Octobris secundum Casum. Argumentum. In trutina ponitur, an peccet mortaliter Monialis, quæ Communionem Sacram semel tantùm in anno suscipit? examinatur Regula Sancti Benedicti, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

fenti, Cathedralium Archipresbyteri vel non habent Jus administrandi Sacramenta, vel ea administrant tantummodo his, qui sunt de Parochia ejusdem Cathedralis; & sic imminuta est Jurisdictio, quam olim habebant, ut notant Moneta de Distribut. Quot. p. 2. q. 1. num. 28. & Barbof. de Jur. Eccl. Univ. lib. 1. cap. 25. num. 25. Et idcirco circa eorumdem Archipresbyterorum auctoritatem attendendas esse consuetudines Civitatum dicunt Canonistæ, quos citat Fagnanus in cap. Ad hac n. 14. & 15. De offic. Archidiacon.

Sextum non officit, quia declarandi sunt DD. in contrarium allegati, de Communionem recepta in Cathedrali de manu Episcopi; vel de Civitatibus, in quibus distinctæ non sint Parochiæ, ut dictum est supra.

Septimum de consuetudine non subsistit, tum quia Concil. Trid. d. sess. 24. de Reformatione cap. 13. in fine revocat quascunque consuetudines etiam immemorabiles circa ingerentiam unius Parochi in his, quæ spectant ad curam alterius Parochi; tum etiam quia eandem consuetudinem abolevit Sacra Congregatio Concilii Anno 1649. & S. M. Innocentius Papa XI. Anno 1682. qui declaravit, non satisfieri Præcepto Communionis Paschalis à Communicantibus in Basilica Lateranensi, vel Vaticana, vel nationali; sed esse communicandum in propria Parochia; sub qua quisque habitat, ut testatur de certa scientia Jacob. Pignat. d. tom. 7. cons. 89. num. 18. quibus Decretis cedere oportet opiniones Doctorum privatorum; cum eadem semper reverenter suscipiatur, & observet Rota Romana, ut habetur coram Buratto decis. 479. num. 3. ea ratione, qua ligant in utroque foro, etiam quod non sit publicata. Roderic. quæst. Regul. tom. 1. q. 11. art. 2. circamed. Ferentill. in addit. ad d. decis. 479. num. 21.

DECISIONIS XLIX.

Ad Octobris secundum Casum.

ARGUMENTUM.

In Trutina ponitur, An peccet mortaliter Monialis, quæ Communionem Sacramentalem semel tantum in anno suscipit? examinatur Regula S. Benedicti, & declaratur, quid esset *Mixtum*, quod Lector Hebdomadarius sumebat propter Sanctam Communionem. Referuntur Constitutiones Urbanæ pro Minoribus Conventualibus, ac Statuta Terti Ordinis S. Francisci. Explicatur Clem. Ne in agro. De Statu Monachorum. Adducitur Concil. Trid. sess. 25. cap. 10. de Regularibus. Et plurimæ Synodales Constitutiones circa Communionem Monialium. Rationes pro utraque opinione ponderantur, & resolvitur, abstinentiam Monialis à Sacra Communionem per plures menses esse à culpa gravi inexcusabilem.

SUMMARIUM.

- 1 Regula S. Benedicti confirmata à S. Gregorio Papa Anno 595.
- 2 Cassinenses debent Eucharistiam sumere omni die Dominico.
- 3 Declarationes Congregationis Cassinensis ad Regu-

lam S. Benedicti sunt confirmata ab Innocentio Papa XI. & habent vim legis.

- 4 Regula S. Benedicti pro Monialibus habet præceptum de Communionem faciendam singulis diebus Dominicis.
- 5 Regula S. Francisci præcipit, Eucharistiam sumi omnibus Dominicis diebus, ac festis Deiparæ, Apostolorum, aliorumque Sanctorum Ordinis.
- 6 Regula Terti Ordinis Sancti Francisci quam frequentiam Sacramentorum requirat?
- 7 Communio Menstrua imposita est Monachis à Clemente V.
- 8 Monachorum Nigrorum appellatione qui veniant?
- 9 Clem. Ne in agro. §. Sane. De Stat. Monachorum. obligat etiam Monachos albos, ac Moniales.
- 10 Communio Menstrua à Concil. Tridentino indita Monialibus.
- 11 Episcopi sæpe omnes jubent Monialibus, ut saltem semel in mense communicent.
- 12 Communicare plus quam semel in anno nullus tenetur de Præcepto, est Religiosus. Contrarium num. 18.
- 13 Admonens, vel exhortans non videtur velle obligare. Contrarium num. 23.
- 14 Monialis non recipiens Communionem, nisi semel in anno, non est immunis à peccato mortali.
- 15 Maculatum comprehendit sub se femininum.
- 16 Moniales gaudent Privilegiis concessis Religiosis suorum Ordinum, etsi non sint subiecta Regularibus, sed Episcopis.
- 17 Moniales tenentur de Præcepto sumere Eucharistiam semel saltem in mense.
- 18 Regulares peccant mortaliter non Communicantes saltem semel in mense.
- 19 Regula transgressio quando sit peccatum mortale?
- 20 Moniales subiciuntur statuti Regularium in iis, in quibus sexus non repugnat.
- 21 Iudicium idem de similibus, & connexis.
- 22 Verbis hortatoriis utuntur Sacri Canones etiam in materia de Præcepto.
- 23 Monitio Concilii Tridentini, ut Moniales semel in mense communicent, facit Præceptum.
- 24 Communio menstrua cur de Præcepto apud Religiosos?
- 25 Ratio est præferenda auctoritati Doctorum.
- 26 Doctoribus antiquis adhaerendum potius, quam modernis.
- 27 Rationes, ob quas Monialis non Communicans semel saltem in mense peccat mortaliter.
- 28 Discrimen esse debet inter vitam Religiosorum & vitam laicorum.
- 29 Infirmitas nolens recipere medicinam peccat mortaliter.
- 30 Inedia voluntaria abbreviare vitam est mortale peccatum.
- 31 Jubileum non recipiens ex pigritia peccat.
- 32 Penitentiam Communionis menstrua non adimplens peccat mortaliter.
- 33 Melancholici sunt incontinentes.
- 34 Monialis omittens communicare in mense ob aliquod improvvisum impedimentum animæ: an peccet?
- 35 Discretione opus est in omni negotio.

SECUNDUS CASUS.

Monialis professæ, temperamenti melancholici, ex quo facile movetur ad tristitiam, & iracundiam, tadio affecta, & inedia Sacramentorum assueta, semel tantum in anno ad Eucharisticum convivium,

Q 3

tempore

tempore scilicet Paschali, accedit. Queritur: An rarus hic Penitentia, & Eucharistia Sacramentorum usus in ea sit culpa mortalis?

Difficillima mihi videtur hujus Casus resolutio. Idcirco pro investiganda veritate, & ad consulendum conscientis Sanctionum, & earum Confessarios in hac re instruendos, tria sunt praemittenda, & adnotanda.

1. **Praemissum primum.** Etsi in Regula S. Benedicti Abbatis, quae anno DXCV. confirmata fuit in Concil. Rom. à S. Greg. Papa, ut notat Card. Baron. ad Ann. 595. num. 59. nullum reperitur praeceptum de frequentia Sacrae Communionis; sed solummodo c. 38. De Hebdomadario Lectore; habeantur haec verba: *Lecturus tota hebdomada Dominica ingrediatur.* Qui ingrediens post Missas, & Communionem, petat ab omnibus pro se orari &c. Et paulo inferius: *Frater autem hebdomadarius accipiat Mixtum priusquam incipiat legere propter Communionem Sanctam, & ne forte grave sit ei jejunium sustinere.* Nihilominus in illius capitis declaratione Patres Congregationis Cassinensis haec conscribere num. 3. Ex eo, quod hic B. P. Benedictus dicit: *Post Missas, & Communionem; & infra in eodem c. Propter Communionem Sanctam ostenditur, quod quolibet Dominico die*
2. *Fratres communicant; ideo mandamus, quod tam Sanctum, & antiquum Religionis institutum servetur in singulis nostrae Congregationis Monasteriis, nisi forte ob reverentiam alicujus festi sollemnis differatur, aut praemittatur hujusmodi Communio.* Ex his constat in Congregatione Cassinensi esse praeceptum de Communionem facienda singulis Dominicis diebus; si quidem supradictae declarationes, ad Regulam S. Patris Benedicti habent vim legis, nam iussu SS. Innocentii Papae Undecimi fuerunt revisa, discussa, ac ubi opus esse visum fuit, correctae, & motu proprio à Sanctitate sua confirmatae die 22. Novembris 1680. ut ex ejus Bulla praefixa eidem Regulae, & declarationibus, impressa Romae Typis Rev. Camerae Apostolicae dicto Anno 1680.
3. **Praemissum secundum.** Quamvis disputabile sit, an supradicta declaratio, & praeceptum de Communionem singulis Dominicis diebus facienda afficiat Moniales Ordinis Benedictini, praecipue, sub-
4. *jectas Episcopis, ut hic Patavii, quod infra examinabitur, certum est, eandem declarationem, & praeceptum haberi in Regulis vulgari idiomate scriptis, vel typis impressis pro Monialium Ordinis Benedictini regimine, ut ego observavi in una Monasterii S. Stephani hujus Civitatis manuscripta Anno 1506. & in aliis impressis Venetiis annis 1581. 1594. 1627. 1656. 1672. In quibus ad declarationem cap. 48. Regulae, explicantur illa verba: Frater Hebdomadarius accipiat Mixtum priusquam incipiat legere propter Communionem Sanctam. Id est, accipiat frustulum panis, & parvum Vini; quod confirmat Hieronymus Macri in Verbo Mixtum his verbis: *Marutinum jentaculum dicitur mixtum, quia in sola ossa, sive mixtione panis, & vini confiscebatur.* Et idem latius prosequuntur P. D. Rogerius de Barulo Monachus Caeslinus in expositione Regulae Benedictinae Anno 1538. & P. D. Sylvanus Razzius Monachus Camaldulensis Anno 1574. qui ad d. cap. 38. De Hebdomadario lectore examinat illa verba ultima: *Propter Communionem Sanctam, & relatis variis interpretationibus aliorum de Mixto per lectorem sumendo, priusquam incipiat legere Propter Communionem Sanctam; subdit, legendum potius esse Post Communionem Sanctam: ita ut error irrepperit in antiquis Regulae transferi,**

ptionibus; & loco Post, scriptum sit Propter, verior enim, atque germanior sensus Regulae videtur, ut lector sumat jentaculum Post Sanctam Communionem, ne forte grave sit jejunium sustinere, legendo ad totam mensam. Unde sequitur; quod si lector debet sumere jentaculum post Sanctam Communionem: ita etiam quod Communio singulis Dominicis diebus est facienda à monialibus.

Tertium Praemissum. In Regula verò S. Francisci, relata in Constitutionibus Urbanis, quia eadem Regula, Constitutiones, & Decreta in Capitulis generalibus Religionis pro Regulari observantia emanata, confirmata, & approbata fuerunt ab Urbano Papa VIII. die 15. Maji 1628. sic legitur in c. 3. Regulae tit. 10. *Omnes nostri Ordinis Fratres, tam Clerici, quam Laici, tam Novitii, quam Professi, singulis diebus Dominicis (quibus SS. Eucharistia Sacramenti renovatio facienda est) Item singulis B. M. A. R. I. E. Virginis, Sanctorum Angelorum, Apostolorumque Festis; Omniumque Sanctorum die, ac Sancti Patris nostri Francisci Titularis, & Advocatorum Ecclesiae, Sanctorumque nostri Ordinis sollemnitatibus, qua decet devotione, & reverentia, consuevantur sacraque Dominici Corporis Communionem reficiantur.* Si tamen dictae Festivitates ita proxima inter se se mutuo inciderent, ut frequentior equo tanti Sacramenti videretur usus, ex discreto Superioris arbitrio à Communionem abstinere. Confessionis verò salutis usus nullatenus (quantum fieri potest) intermittatur. In Regula autem Fratrum Terții Ordinis de Penitentia ejusdem Ordinis Sancti Francisci cap. XIV. De Sacramentali Penitentia, & Eucharistia ita ordinatur: *Et quoniam teste Augustino initium bonorum est Confessio malorum; seroque medicina paratur (juxta illius sententiam) cum mala per longas invaluerint morae; atque etiam peccatum, ut docet differit Gregorius, quod per Penitentiam non diluitur; mox suo pondere ad aliud trahit; summum bonum in celeritate putantes decernimus, ut quindecimo quoque die, aut sapienter etiam (si placuerit) Fratres nostri Ordinis suis Ministris, vel aliis Sacerdotibus per Ministros electis sua peccata Confessione revelent, sibi injunctam penitentiam agant. Eucharistiam summa cum humilitate, ac reverentia assumant, primo uniuscujusque mensis die Dominico; nisi Coenobiorum ministri illud in alterum diem jussu, ac pie distulerint. His consonat Clem. Ne in agro. §. Sane. De Statu Monach. per quam Clemens P. pa V. in Concilio Generali Viennensi Anno MCCCXII. Ne in agro Dominico, sacra videlicet Monachorum nigrorum Religione, indecorum aliquid obreperet, inter cetera, statuit, ordinavit, & praecipit, Ut singulis mensibus, tam in Monasteriis, quam extra, sublata occasione quacunque, ad Confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi. Et in prima Dominica mensis cujuslibet in Monasteriis semper communicent; nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Penitentiarius Monasteriorum non differant intimare, eorumque judicio vel abstinere, vel accedant: Appellatione autem Monachorum nigrorum, de quibus loquitur haec Clementina in exordio; intelliguntur quinque celeberrimae Congregationes Benedictinae; quae sunt in Italia Cassinensis, seu Sanctae Justinae de Padua; in Germania Bursfeldensis; in Gallia Casalenis, in Hispania Vallisolerana; in Lusitania Sancti Martini de Tibaes; ut notat Lezana in summa tom. 6. ad Mare magnum Carmelit. num. 211. Verum supradictam Conciliarem Constitutionem 9 obligare non solum Monachos nigros, sed etiam Monachos alios, quales sunt Cistercienses, Camaldulenses, Olivetani; & alii propter idem.*

identitatem rationis, ac etiam Moniales docent Canonistæ. Glossa; Paulus, Imola, Bonifacius, & Cardinalis Zabarella, quos citat Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 19. quest. 17. & contra Moralistas contrarium opinantes tenet etiam Navarrus in *Manual. cap. 2. num. 9. & cap. 21. num. 59.* Tandem Concilium Tridentinum loquens de frequentia Communione habenda per Moniales in *sess. 25. de Regular. c. 10.* ait: *Attendant diligenter Episcopi, & ceteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admonentur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant; & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se saluari præsidiō muniant ad omnes oppugnationes Demonis fortiter superandas.* In conformitate autem hujus Tridentini Decreti ferè omnes Episcopi in suis Constitutionibus Synodalibus mandant Monialibus, ut semel saltem in mense Communionem Sacram sumant, ut de Ecclesia Metropolitana Mediolanensi testantur Gavaat, in *Manual. Episc. verb. Monialium Cura Spiritualis num. 6.* Et Corius in *Epitome Concil. S. Caroli eodem verb. num. 4.* Et de Patriarchali Aquilejensi Concil. *Provinc. Aquilejens. primum de Anno 1596. tit. de Monialib. vers. Admonentur pag. 59. tergo, & Constitutiones Synodales Patavinæ p. 4. tit. 6. vers. Ac ut majorem de hac Ecclesia Paduana; & aliarum plures.* Dixi ferè omnes; quia S. Franciscus Salesius in suis Constitutionibus, confirmatis ab Urbano Papa VIII. die 27. Junii 1626 c. 21. mandat Monialibus de Visitatione, ut accedant ad Divinam Mensam singulis Dominicis, ac aliis Festis diebus de præcepto, nec non omnibus feriis quintis; excepto, si dies præcedens, vel subsequens fuerit festiva; & novissime Eminentiss. ac Reverend. Cardinalis Fr. Vincentius Maria Ursinus tunc Archiepiscopus Beneventanus, viva Sancti Caroli imago, in suo Edicto Synodali diei primæ Junii Anni 1678. præcipit Monialibus Sacram Eucharistiam recipere bis saltem in mense.

His prænotatis, deveniendo ad resolutionem casus propositi, videbatur dicendum juxta opinionem Theologorum infra citandorum, Pellizzarii, Tamburini, Bordonii, Donati, & aliorum: Monialem semel tantum in anno Communionem Sacram recipientem, tempore Paschali, esse immunem à culpa mortali ex sequentibus motivis. Primum, quia de præcepto nullus tenetur ad communicandum nisi semel in anno, etsi sit Religiosus, vel Monialis, juxta *textum in cap. Omnis utriusque sexus. De Penit. & Remiss.* Secundo, quia Communio menstrua Monialibus indita est tantum de consilio; ea autem, quæ de consilio sunt, non obligant ad peccatum. *cap. fin. 14. q. 1.* Tertiò, quia transgressio Regulæ non est culpa mortalis, nisi sit circa tria Vota, vel ex contemptu. S. Antonin. 3. part. tit. 16. cap. 1. §. 7. ubi loquitur de Regula Sancti Benedicti. Quarto, quia Moniales non afficiuntur statutis, seu constitutionibus factis à Prælati Religionis pro viris Regularibus, & Monachis. Quintò quia *Clem. Ne in agro. De Statu Monachorum.* non est extendenda ad Moniales. Sextò, & quatenus extenderetur, videtur correctà à Concilio Tridentino *dict. sess. 25. de Regul. cap. 10.* ubi voluit Sanctimoniales admoneri ad Communionem saltem in mense, non autem obligari; quia qui admonet, vel hortatur, non intendit obligare. Zerola *verb. Moniales. vers. Ad Septimum.* Et ita docent, & tenent Pellizzarius de *Monialibus cap. 6. num. 8.* Ascanius Tamburinus de *Jure Abbatissar. disp. 16. quest. 6.* Bordonus

Var. Resol. part. 1. resol. 20. Donatus in *Praxi Rerum Regular. tom. 4. tract. 13. quest. 1.* apud quos alii Moralistæ citantur.

Ceterum, pace tantorum Virorum, mihi non videtur immunis à culpa mortali Sanctimonialis illa, quæ inedia Sacramentorum asueta, accedit ad Communionem tantummodo in Paschate, siquidem, reflectendo in sensu veritatis ad supradicta motiva, non reperio, quod subsistant. Non Primum, nam non est verum, quod Religiosi, & Moniales non habeant præceptum de communicando semel saltem in mense; immò totum contrarium resultat tum ex Constitutionibus Benedictinis, & Ordinis Sancti Francisci suprarelatis, tum ex Clementina *Ne in agro*, in quibus expressè obligantur ad Communionem saltem mensuram; quod pro indubitato admittit Caramuel in *Theolog. fundament. num. 764. & 765.* Et tenet Glossa in eadem *Clem. Ne in agro. §. Sand. In verb. Mensibus.* Nec non Vasquez Hurtadus, & alii, apud Dianam part. 8. tract. 1. resol. 16. quæ jacet in Opere Coordinato tom. 3. tr. 1. resol. 24. Neque juvat dicere easdem Constitutiones ad Regulas, & dictam Clementinam obligare Monachos, & Viros Religiosos; ad quos Leges istæ diriguntur, non autem Moniales; quia immò in illis Legibus comprehendit etiam Moniales, tanquam personas militantes sub eadem Regula, tenent insignes præcitati Canonistæ, Bonifacius, Imola, & Cardinalis Zabarella in *d. Clem. Ne in agro. num. 5.* relati ab Azorio *dict. tom. 1. lib. 12. cap. 19. q. 17.* juxta vulgatam Regulam, masculinum comprehendit sub se femininum *l. Qui duos 60. in fin. ff. de legat. 3. l. i. §. i. ff. De verb. signific. Barboia de Appellat. Verbor. c. 99. num. 48.* Et sicut Moniales gaudent Privilegiis Monachorum, seu Regularium sui Ordinis, Miranda de *Monialib. qu. 9. art. 4. & 5. & q. 10. art. 2.* Portell. in *dub. Regul. verb. Moniales num. 11.* etiam si non sint subjectæ Regularibus, sed Episcopis. Tamb. de *Jure Abbatum tom. 1. disp. 17. q. 1. in fine.* Et de *Jure Abbatiss. disp. 17. qu. 2.* Lezana tom. 6. in *Mare Magnum Carmelit. num. 385.* ita subjiunguntur Statutis, Constitutionibus, & Legibus suorum Ordinum in iis, in quibus sexus non repugnat. Lezana in *Summa, tom. 1. cap. 25. num. 1.* ubi Suarez tom. 4. de *Relig. lib. 1. cap. 12. & Tamburin. de Jure Abbatiss. disp. 12. q. 2. n. 3. & disp. 13. q. 4. num. 9.* maxime quia eadem necessitas, & idem finis frequentandi Sacramenta est in Viris, ac in Feminis; & ubi est eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio. *leg. Illud. ff. ad leg. Aquil. leg. A Titio. ff. de verb. signific. Ideo apparet verius esse quod Moniales tenentur de præcepto ad communicandum semel saltem in mense; & non ex solo consilio (quod erat secundum motivum contrarium) & est probabilior sententia Cajetani ad 3. part. D. Thom. de *Confess. q. 1.* Navarri in *Manuali cap. 21. cap. 59.* Dicastili de *Penit. disp. 7. num. 18.* Hurtadi de *Sacram. Penit. disp. 7. diff. 8.* & aliorum apud Dianam part. 8. tract. 1. resol. 16. In *Coordin. tom. 3. tract. 1. resol. 24.* necnon Joan. Petri Barchi in *Speculo Religios. cap. 13.* affirmantium. Regulares non confitentes, & non communicantes semel in mense juxta *Clem. Ne in agro* mortaliter peccaret & per hæc cadunt duo prima motiva contraria. Tertium pariter non suffragatur ex doctrina S. Antonini, loco citato, quod transgressio Regulæ non sit peccatum mortale, nisi transgressio sit circa vota, vel cum contemptu. Nam in præsentī casu Monialis, quæ non communicat semel in mense, peccat contra votum obe-*

obedientia; & stans per annum sine communione, excusari non potest à contemptu, frequentia enim peccati dispositivè inducit ad contemptum, ex Doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 186. art. 9. & Cajetani ibi. necnon Collegii Salmanticens. tom. 12. tract. 11. de legibus cap. 2. n. 37. & seqq. & Peyrini tom. 1. de Subdito qu. 1. cap. 5. §. 1. 2. & 3. Et quod peccet mortaliter contra votum obedientia; ex eo probatur, quia agitur de gravi; gravitas autem transgressionis resultat tunc ex fine, ob quem est præcepta Communio, à quo Monialis non communicans se avertit, idest ab auxiliis, & prædiis ad resistendum diaboli tentationibus, tunc ex iactura boni communis spectantis ad Religionem; videlicet ob malum exemplum, & scandalum, quo alia Moniales possunt persuaderi ad deferendam frequentiam Sacramentorum, & ad imitandum indeviduos Laicos, qui semel tantum in anno communicant; & hæ sunt duæ causæ, ob quas non obedire Regulæ, vel præceptis Superiorum in Regularibus est culpa mortalis. Sayr. in Clav. Reg. à lib. 3. cap. 7. n. 14. Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 4. n. 2. & 3. ubi DD. & lib. 6. cap. 4. n. 18. Lezana in Summa tom. 1. cap. 8. n. 18. & tom. 6. in Mare Magn. Carmelit. n. 37. Peyrin. de Subdit. q. 1. cap. 5. §. 4. dub. 4. & Collegium Salmanticens. tom. 13. De Statu Religioso tract. 15. cap. 6. num. 49. Quartum motivum ex adverso consideratum non subsistit; quia, sicut dictum est, quemadmodum Moniales, etsi subjectæ Episcopis, gaudent privilegiis concessis Religioni Virorum, ita subiciuntur decretis, 20 statutis, & constitutionibus ejusdem Religionis in iis, in quibus sexus non repugnat, ex Suarez de Relig. d. tom. 4. lib. 1. cap. 12. & Lezana d. tom. 1. cap. 25. in primis, & tom. 6. in Mare Mag. Carmelit. num. 386. Et hinc est, quod in Regula S. Benedicti vulgari idiomate pro Monialibus impressa, sub cap. 38. appositæ est Constitutio Congregationis Cassinensis; de qua in primo præmissis, & dispositio Clem. Ne in agro; de qua in tertio præmissis; ne possent allegare: quoniam rantiā circa obligationem communicandi de præcepto saltem semel in mense. Quintum motivum non me movet, quia prædictam Clement. Ne in Agro, extendi etiam ad Moniales supra ostendi ex sententia Card. Zabellæ, & aliorum Canonistarum, 21 quos refert Azor, tom. 1. lib. 12. cap. 19. q. 17. & suadet ratione, quod de similibus, & connexis idem est iudicium. cap. Inter cetera. De Rescript. cap. Translat. de Constitut. cap. In causa. De Re Judic. Et ubi materia æquè convenit mulieribus sicut Religiosis, Moniales veniunt appellatione Monachorum. Fagnan. in cap. Ut filii n. 41. & ibi DD. de Filiis Presbyter. Barbosa in jure Eccl. Univerf. lib. 1. cap. 43. num. 14. Sextum verò motivum eget consideratione, quam non fecisse videntur illi, qui scribunt, Clement. Ne in agro fuisse correctam à Concil. Trid. d. sess. 25. de Regul. cap. 10. & communionem mensuram, quæ ob d. Clem. erat de præcepto, conversam esse in consilium, ob illa verba admonerentur Sanctimoniales &c. 22 Igitur considerandum est, morem fuisse Sacrorum Conciliorum uti verbis hortatoriis, & monitionis in pluribus casibus, quamvis materia esset de præcepto. Sint exempla. Est de præcepto non communicare cum hæreticis, & evitare eorum confortium, cap. Omnis. & cap. Qua dignior. 24. qu. 1. cap. Si quis Episcopus, cap. Sicut. cap. Ad abolendam de hæreticis. Actamen S. Gregorius Papa in cap. Rogo. 11. qu. 3. mandat evitare hæreticos per verba hortatoria, dicens: Rogo, hortor, & moneo, ut à prohibita vobis communionis consortio per omnia suspendatis. Ubi

Glossa ait: Verbum rogandi hic præceptivè ponitur. Item decimarum solutionem esse de præcepto nemo ignorat, cap. Parochianos, & cap. Non est in potestate hominum. De Decimis. Nihilominus de adimplimento ejusdem præcepti loquitur per exhortationem, & communionem cap. Revertimini 16. q. 1. ibi: Hortor vos, atque commoneo, ut inferatis decimas in horrea. In Episcopis, & in Parochis residentiam esse de præcepto non solum Ecclesiastico, sed etiam Divino, neminem latet; veruntamen Concil. Trident. iisdem illam intimat, admonendo, & hortando, ut habetur sess. 23. de ref. cap. 1. ibi Sacrosancta Synodus. Et inferius: Eisdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne scilicet in Adventu, Quadragesima, & aliis solemnioribus festivitatibus absint à residentia. Cur ita? quia scilicet mos est antiquus in utroque jure, & in Conciliis generalibus, proponere rem de præcepto cum verbis admonitionis, & exhortationis, ut disserit Abbas in cap. Nam concupiscentiam. n. 3. & Decius n. 21. De Constitutionibus. Albericus à Rosate in Diction. Verb. Hortabitur. & Fagnanus in cap. Qualiter n. 38. De Cleric. non resident.

Idcirco etiam in casu isto de Communione menstrua, ad quam sunt ex præcepto obligatæ Moniales, Concil. Trid. d. cap. 10. de Regul. sess. 25. dixit, admonerentur Sanctimoniales; non quia hæc communio sit tantum de consilio, cum ex inveterata consuetudine Religionum, & ex eorum statutis, necnon ex Clementina Ne in agro fuerit, & sit de præcepto; sed quia satis visum est Concilio, Moniales monitas fieri, juxta stylum loquendi servatum in utroque jure, per verba monitionis, de re tamen cadente sub præcepto; & ad quam adimplendam, semel saltem in mense præcisè sunt obligatæ. Ultimum restat motivum de auctoritate Pellizzarii, Bordoni, Tamburini, Donati, & aliorum per eos citatorum, opinantium, Moniales non teneri ad communionem mensuram ex præcepto, sed ex consilio. Porro, salva semper reverentia iisdem Theologis præstantissimis quidem, & eruditissimis, eorum opinionem deferendam existimo ex duplici capite. Uno, ob evidentiam rationis; si enim Communio menstrua est de præcepto in viris Religiosis ob bonum commune religionis, ut pietas animi, & probitas morum fulciatur frequentia Sacramentorum, sine quibus Religiosi fierent peiores Laicis; & Ecclesiasticam perfectionem pessundarent. Caramuel in Theol. fundament. d. n. 764. Vers. sed interrogas; eadem ratio militat in Sanctimonialibus; quam rationem præferendam esse doceor à S. Hieronymo relato in cap. Ego solis. 25. dist. 9. ubi ait: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserint; sed quia mihi per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerint. Et à S. August. Ep. 112. ad Fortunatianum, de qua in cap. Neque quorumlibet. ead. dist. 9. ita habetur: Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva bonis conscientia, qua illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere; si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet; divino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Nemo inficiabitur, præceptum Communionis mensuræ in Clem. Ne in agro. §. Sanè. De Statu Monachor. emanasse ob bonum commune Religionis Benedictinæ. Igitur illud extendi debet etiam ad Moniales, ex Abb. in c. Ex parte. n. 1. de Posulando. Summa Angelica in Verb. Monachus. n. 12. Et in Verb. lex. num. 3. & num. 7. ubi

- ubi notat, quod si materia, de qua lex fecit præceptum, sit necessaria, & multum ponderosa, obligat sub mortali. Alterum caput, propter quod defecto à prædictis Theologis, est, quia contrarium docuerunt antiquiores Canonistæ Bonifacius, Imola, Cardin. Zabarella, & Navarrus supra allegati; & adhærendum esse antiquis Doctoribus, potius quam modernis tradit Hostien, in cap. Unicon. § 1. & § 2. de Sacra Unct. Sylvest. Verb. Opinio sub n. 2. Et pluribus congestis Fagnanus in cap. Ne innitaris à n. 349. & seqq. De Constitut. Etiam si contra plurimos Auctores stet unus tantum, dummodo iste secum afferat evidentem rationem, ut ex Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 16. num. 4. arguit Sancius in Selectis disp. 26. n. 5. Vers. & favet.
- His stantibus, reallumendo casum propositum; & ejus resolutionem, dicendum venit, Monialem non accedentem ad Eucharisticam Communionem, nisi semel in anno, ex torpore, & mala consuetudine, peccare mortaliter ex rationibus sequentibus. Quia extat præceptum de communicando saltem semel in mense tum ex Regula, & Statutis Ordinum Regularium, tum ex Clem. Ne in agro. §. Sanè. De Statu Monach. 2. Quia d. Clement. Ne in agro, comprehendit etiam Moniales ex Card. Zabarella, & aliis Canonistis supracitatis. 3. Quia Moniales etiam subiectæ Episcopis, sicut gaudent Privilegio suorum Ordinum, sic eorundem statutis afficiuntur in iis, quæ ipsarum statui conveniunt, ex Lezana, & aliis supra. Quia Constitutiones Ordinum, & Clem. in agro. obligant ad Confessionem, & Communionem mensuram sub pena peccati mortalis, ex Navar. cap. 21. n. 59. Dicastillo, Hurtado, & aliis allegatis. 5. Quia Monialis omittens Communionem per integrum annum peccat etiam mortaliter ratione scandali, & ratione contemptus, ex S. Thom. Peyrin. Lezana, aliisque. Quia Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 10. quamvis dicat, Moniales admoneri de Communionem saltem mensuram, illud verbum non est de consilio, sed de præcepto ex DD. supra relatis, & Fagnano in cap. Qualiter 38. de Cler. resident. 7. Quia Communio mensuram in Monialibus dicitur de re gravi, concernente bonum tum particulare, tum commune ipsarum; ac religiositatem, & bonam famam Monasterii, ex Caramuel, Abbate, & Summa Angelica citatis. Et licet tum si foret Monialibus non communicare, nisi semel in anno, eorum Monasteria non essent domus religiosæ, sed castra militum. 8. Quia opinio modernorum Moralistarum dicentium, esse de consilio, & non de præcepto mensuram Communionem, est minus probabilis; tanquam destructiva exemplaritatis Sanctimonialium. 9. Quia debet esse discrimen inter vitam earum, & laicorum, cap. Denique dist. 4. Glossa cit. Clem. Ne in agro. §. Sanè. Verb. Mensibus. ibi: Propter religionis perfectionem aliquid debeat ad pensum sana institutionis adiacere. Immo si malè sentitur de laicis semel tantum in anno communicantibus cap. Seculares. dist. 1. Quid de Monialibus cogitandum? 10. Quia sicut peccat mortaliter infirmus, qui non vult lumere medicinam in gravi infirmitate. Mastr. in Theol. Mor. disp. 11. n. 34. ita Monialis respuens sanctam Communionem, quæ, ut ait Concil. Trid. de Euchar. sess. 13. cap. 2. Est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus preservamur. 11. Quia quemadmodum inedia voluntaria abbreviare vitam corporalem, est
- peccatum mortale, Gobat in Quinario tract. 8. cap. 1. n. 32. Sanchez in Conc. Moral. lib. 5. cap. 1. dub. 33. Sic erit mortale peccatum abstinentia ab Eucharistia, per quam alitur vita spiritualis. Jo. 6. Qui manducat me, vivet propter me. 12. Quia negligens accipere Jubilæum universale missum à Papa, non potest esse sine culpa, nam negligentia est semper peccatum, & quia est prodigalitas quædam bonorum spiritualium, ac etiam quia turpis est pars, quæ non conformatur toti. Gobat in cit. Quinario tr. q. 119. n. 336. & in Theologia Experim. tract. 6. n. 299. Ergo culpabilis erit etiam Monialis negligens circa sanctam Communionem, privans se frequentibus Indulgentiis, etiam plenariis adinstar Jubilæorum, & non se conformans in hoc actu religionis suæ Communitati. 13. Quia peccat mortaliter, qui non adimplet Confessionem, & Communionem mensuram sibi à Confessario impositam in dispensatione impedimenti occulti ad contrahendum Matrimonium. Gobat d. tract. 8. in Quinar. cap. 37. à n. 222. & seqq. Igitur à simili peccabit mortaliter Religiosa non communicans semel in mense juxta Ordinis sui statuta, & juxta præceptum Juris Canonici in d. Clement. Ne in agro. §. Sanè. De Statu Monach. quam sub mortali obligare, docent etiam Vasquez, Dicastillo, & Azorius citati per eundem Gobat. d. cap. 37. n. 224. 14. Et tandem cum prædicta Monialis sit temperamenti melancholici, ex quo facile movetur ad tristitiam, & ad iracundiam, magnopere indiget Communionem frequenti, ut eo se salvari præsidio muniat ad omnes oppugnationes Demonis fortiter superandas, ut loquitur Trid. Concil. d. sess. 25. de Regular. cap. 10. Nam, ut docet Aristoteles in Mor. lib. 2. cap. 7. n. 11. melancholici, ut plurimum, sunt incontinentes. Et lib. 7. Ethic. cap. 14. num. 11. Quia atra bile eorum corpora mordentur, propterea intemperantes, & pravi evadunt.
- Quod si quis querat, an peccet mortaliter monialis, si aliquo tantum mense omittat sacram Communionem ob improvisam animi perturbationem, qua forsitan invaditur? Respondeo in hoc casu non peccare, si coram Confessario, vel Abbatissa compareat, implorans licentiam pro ea vice non accedendi ad Convivium cæleste, donec tranquillitatem cordis reassumat, ut tenet Cardin. Zabarella in d. Clem. Ne in agro. §. Sanè n. 2. Et jure quidem; est enim opus discretionis in omni negotio. cap. Presentium i. qu. 5. cap. 1. de Offic. Custod. & monet Lezana in Summa tom. 6. ad Mare Magnum Carmelitar. num. 169. & mea opinio, quod Monialis non communicans peccet mortaliter, procedit in illa, quæ per plures menses, cum contumacia, abstinet à Communionem.

DECISIONIS L.

Ad Octobris Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Petitur, Utrum ad faciendam experientiam, an Mulier patiens ecstases, & mira loquens, communiter credita Energumena, verè sit talis, vel potius Lunatica, Epileptica, Saga, Maga, aut Pythonissa, licitum sit, eam petentem Eucharisticam Communionem fallere, porrigendo illi Hostiam

R

stiam